



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Apolonia. V. M. 9. Februarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

fecit famæ. Puella, ad cuius parentes divertere sollebat MARINVS, cùm res cœnobij curaret , corrupta à milite parentem hunc mentitur , itaque malum ingens cœnobitis parit. Accusata virago peccasse utique se fatetur , factumque fletu uberi damnat & gemitu. Ergo extra septa sancta ejicitur , & subinde filius etiam adducitur buccâ alendus , quam mendicanti ascetæ ministrabant. Sic jam sub alterâ larvâ spectatorem orbem fallit, dum quinto abhinc anno , cùm verum etiam scelus potuisse eluere , unâ cum filio inter claustra recipitur. Mox moritur MARINVS & MARINA deprehenditur. Adebat mendax puella à malo hospite orco agitata, & scelus ultrò fatetur. Quid faceret hîc cælum , post actam bellissimè fabulam, nisi plausum? Ex Herib. Rosvveido.

Conscientia bona titulus est Religionis. Templum Salomonis. Ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, arca Fæderis, thesaurus regis , aula Dei, habitaculum Spiritus S. liber signatus & clausus, & in die iudicij aperiendus. S.Bern.l.de int.dom.

S. A P O L O N I A . V. M. 9. Februarij.

Necdum in flammias eruperat furor Decianus, cùm anno ab incunabulis Servatoris L. supra CC. Decio prælufit Alexandriæ nescio cuius hominis insaniam. Arrogavit ille sibi Vatis nomen, & fictis ad populum criminibus id repente excitavit incendium , quod non nisi multo Christianorum sanguine extingueretur ; quos inter facile princeps fuit APOLLONIA Virgo , quæ invalescente vulgi furore , cùm jam tota urbe eadem omnium vox audiretur , flammis addicendum , qui-

D 5

quis

quis Christo non maledixisset, in virtutis scenam protracta est. Et sanè præclarè personam sustinuit Christianam, quippe cui ore citius omnes, quibus ætas proiecta in eum diem pepercerat, dentes, quam Christus, evulsi. Quid agitis manus carnificum? fortē esse APOLLONIAM excussi dentes, & fractæ malæ loquuntur; ad majora tormenta provocate, nihil humile tam alta spondent principia. Ecce rogus ingens succeditur, crepant flammæ, furit populus, minantur lictores aut Christum abjice, aut in ignem abjiciere APOLLONIA. Quid hic illa? paululum apud animum suum, quasi consultans, subsistit, mox bulliente jam sanctiore sub præcordijs igne, non morata tortores, generoso ausu ipsa involat in flamas, è flammis ad cælum evolat. In nunc Scævola fortissime Romuli nepotum: Manus tuæ miraculum rogus hujus virginis extinxit. Ex Surio.

Si quis hoc dictum corde frequentaret, O Domine quando te diligam! citius se sentiret experimenta liter inflammari, quam si de secretissimis celestibus, & aeterna generatione, vel processione millies cogiraret. S. Bonavent. in Theol. Myst. Q. ult.

S. ANSBERTVS EPISC. 9. Februarij.

Non vidit splendidiorem gemmam Clotarii regia, quam ANSBERTVM adolescentem Superis juxta & hominibus clarum. Et verò invitidit iam tum Clotario Ephebūm Deus, & insuam traducere aulam laboravit. Sed & huic pulchrius regiæ cælū arridebat. Quare sponsam, quam habebat nobilissimā, libens volens, cum ita ipsa etiam vellit, Christo cessit; ipse, rarissimo miraculo, monachus in aulâ vixit, & his ipsis, quibus perire

alii